



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

XIII. Licet tamen defensio, & quatenùs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



simè David lib. Reg. 2. cap. 16. ab homine maledico convitiis appetitus, Dominus, inquit, præcepit, ut malediceret, id est, malâ ejus voluntate ad pœnam meam utitur. Eundem in modum Josephus Genesis cap. 45. fratribus ait, Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. Non equidem nesciebat de se occidendo, in cisternam demittendo, Madianitis negotiatoribus in Ægyptum tendentibus vendendo, consultasse: sed Deum etiam sciebat eorum impia consultatione usum esse, tamquam malo instrumento bonum opificem. Explicatius loquitur cap. 50. Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum. Quando nocere voluistis, vestro animo servistis: at cum nocendi potestas accessit, non vobis ipsi servistis, sed Deo, alios longè fines gloriæ suæ, virtutis meæ, utilitatis vestræ, cogitanti.

XIII.

*Licet tamen  
defensio, &  
quatenus.*

Tertiò notandum: etsi vindicta non liceat homini Deum attendenti, justam tamen defensionem licere, cum moderamine in-

E

culpatae



culpatae tutelæ, ut scholæ loquuntur: id est, quatenus necesse est, ut vitam bonave tua, quæ injustè impetuntur, conserves. Honorem tuum, famam, bona, vitam inimicus aggreditur: resiste, nec metue ne resistendo contraeas voluntati Dei. Quemadmodum enim, cum ægrotas, medicos & medicamenta adhibes, quia scis Deum voluisse ut ægrotares, nescis an te sanari nolit. Ita in malis per hominem inflictis, scis Deum voluisse ut illa exciperes, nescis an velit ut in illis perseveres. Itaque defende te, quæ iustum est: potesteaquam id feceris, si malum perseveret, tunc tibi constabit & hoc Deum velle, adeoque ejus voluntati acquiesces.

XIV.

*Solida afflicti  
consolatio.*

Quia doctrina ista maximi momenti est, ut usus sit clarior, fingamus adesse nos consolatores calamitoso alicui, cum utroque, quod notavimus, genere miseriarum conflictanti. Æstu febrem contraxit, quod malum à Deo immediatè esse diximus: falsis testimoniis de patrimonio deturbatus

tus